



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis E Societate Iesv, De Eloqventia  
Sacra Et Hvmana**

**Caussin, Nicolas**

**Coloniae Agrippinae, 1626**

Tertius per caussas. Capvt XI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68724)

λεπτόντι καὶ ἑμμελῆς, καὶ ἐπιβάλλειν τοὺς  
δακτύλους ἐναφῶς ὑπὸ ποκνήτῃ ἀρσεί: καὶ θέ-  
σαι, καὶ βαίνειν οὐ ρυθμῶ καὶ σύμφωνα εἶναι τὰ  
μέλη πρὸς τὸν χορὸν, καὶ τὴν ἀρμονίαν ἐκάστης  
διαφορᾶσθαι τὸ ἴδιον, γὰρ φρουγίς τὸ ἐνδεον,  
καὶ λυδίου τὸ βακχικόν, τῆς δωρίου τὸ σεμα-  
γόν, τῆς ἑωνικῆς τὸ γλαφυρόν ταῦτα  
μὲν οὖν πάντα ἐκμεμῶδηκα πρῶτον. id est,  
docuisti me iam exacte adaptare tibiam, atq;  
in eius lingulam inspirare tenue quiddam ac  
medulatum, tum commodo facillique conta-  
ctu submittere digitos in crebra sublacione  
ac demissione vocis, adhuc ad numerum in-  
gredi, & ut modi congruant ad chorum,  
praeterea quod cuique harmoniae generi pro-  
prium est obseruari, Phrygiae diuinum im-  
perum, Lydiae Bacchicum furorem, Doricae  
gaudiatem ac modestiam, Ionicae iucundita-  
tem.

## Secundus per antecedentia.

## CAPVT X.

**H**Vic admodum affinis est: quoties non  
contenti semel exitum rei proponere, ex  
quo reliqua quae praecesserunt, per se queat in-  
telligi, singulatim ea quoque commemoramus,  
per quae ad exitum peruentum est. Huius pre-  
ceptionis hoc erit exemplum: Cicero Catili-  
nae conatus oppressit: id ita locupletabis, Ca-  
tilinae nefarios conatus per iuvenes perditis-  
simos, totius Romanae ciuitatis exitum atq;  
interneccionem molientes, M. Tullius Cicero  
consul sua sagacitate statim odoratus est, sin-  
gulari vigilantia peruestigauit, summa pru-  
dentia deprehendit, miro in Rempub. studio  
prodidit, incredibili eloquentia conuicit, gra-  
uissima autoritate repressit, armis extinxit,  
magna felicitate sustulit.

Item aliud. Ex ea virgine filium sustulit.  
Haec ratione dilates licebit. Eam virginem,  
quod esset singulari forma, miserè deperibat.  
Deinde amoris impatiens, simplicem puellae  
animum promissis sollicitauit, muneribus  
corruptit, blanditijs delinijit, officijs in mutuū  
amorem pellexit, improbitate vicit, denique  
consuetudinem cum ea habuit, ac de uirgine  
nata. Aliquanto post tempore uetus virginis  
cepit tumescere, foetu uidelicet concepto.  
Denique exactis nouem mensibus, parturijt  
ac puerum peperit.

Item aliud exemplum. Urbem cepit: ita  
poterit ampliari. Principio faciales rem re-  
petitum missi, qui pacis etiam conditiones  
offerrent. Quas cum oppidani non acciperent,  
copias undique comparat, ad mouet exercitū  
una cum machinis ad urbis mœnia. Illi contra  
e muris acriter hostem repollunt, tandem hic  
superior in congressu, consensu mœnibus ur-  
bem inuadit, ac rerum potitur.

## Tertius per causas.

## CAPVT XI.

**A**B hoc rursus non ita vehementer abhor-  
ret, quoties rem non nudam exponimus,  
sed alius etiam causas repetimus, a quibus  
initijs sit profecta. Veluti si cui non satis sit  
dixisse, bellum intercessisse Gallis cum Nea-  
politanis, verum etiam addat, quae fuerint si-  
multatis causa, quis instigator, quae suscipiendi  
belli occasio, quae vincendi spes, quae utriusque  
fiducia. Hoc ut dilucidius, quam ut egeat praec-  
ceptione, ita difficile sit exemplum nisi pluri-  
mis verbis proponere. Quare super sedebimus,  
& lectorem ad Salustium ac Liuium relega-  
bimus.

## Quartus per adiuncta.

## CAPVT XII.

**N**on admodum ab his discrepat, quoties  
non simpliciter proponimus negotium,  
sed enumeramus etiam illa, quae negotium  
comitantur, vel consequuntur. Quod genus  
sit. Bellum tibi acceptum feremus, hoc pacto  
poteris ditare rem. Exhaustum in barbaros  
milites aeraium, fractam laboribus iuuentu-  
tem, proculcatas segetes, abacta pecora, incen-  
sos passim vicos ac villas, desertos agros, euer-  
sa mœnia, compilaras domos, direpta fana, tot  
orbos senes, tot orphanos liberos, tot viduas  
matronas, tot virgines indignè constupratas,  
tot adolescentium licentia deprauatos mores,  
tantum funerum, tantum luctus, tantum la-  
chrymarum. Praeterea extinxit artes, oppres-  
sas leges, oblitteratam religionem, confusa di-  
uina humanaque omnia, corruptam ciuitatis  
disciplinā: vniuersum, inquam, hoc ma-  
lorum agmen, quod ex bello nasci-  
tur, tibi vni feremus acceptum,  
siquidem belli fueris  
author.